



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Quæst. 138. An, quando, & quale peccatum committant, qui sponsalia de præesente seu Matrimonium contrahunt ante pubertatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73973)

contrahentibus matrimonium incumbit onus probandi, se habuisse tempore contractus dictas qualitates, utpote quæ ante pubertatem non præsumuntur, nimirum se matrimonio onera rectè percipisse (hoc enim venit nomine discretionis & prudentiæ, cuius fit mentio *c. fin. h. t.*) ac insuper se habuisse potentiam illam (quæ probatur per copulam, cum seminis effusione aliqua signa iudicio Medicorum examinata) alias matrimonium illorum declarandum nullum. Porro proximi pubertati dicuntur secundum aliquos, quibus duo vel tres anni deficiunt, secundum alios, quibus defunt 6. menses, secundum alios, quibus defunt annus; quod ultimum verius censet Castrop. *l. c. n. 3.* Alii id iudicis arbitrio relinquendum, ut Corrad. *l. 4. dispens. Apost. c. 3. à n. 2.* Arg. *l. 1. ff. de iure de liberandi.* Et quamvis aliqui pubertatem non ex annis æstimant, illumque masculum puberem dicant, qui annum 14. implevit, etsi tardius pubescat; certum tamen esse ait Pirh. *l. c.* illum puberem esse, qui ex habitu corporis pubertatem ostendit, & generare jam potest; unde alia est pubertas naturalis, alia legalis.

Quest. 138. An, quando & quale peccatum committant, qui Sponsalia de præsentate seu matrimonium contrahant ante pubertatem.

R Esp. ante legitimam ætatem seu pubertatem contrahere matrimonium, esse peccatum, negat Sanch. *l. 1. d. 17. & l. 7. d. 104.* cò quòd istiusmodi matrimonia impuberum non valeant in vi matrimonii, sed tantum in vi Sponsalium; contrahere autem Sponsalia ante ætatem determinatam à iure matrimonio non sit peccatum. Textus verò, *c. 2. h. t.* districtius inhibens, ne aliqui ante ætatem determinatam conjugantur intelligendus non de conjunctione per contentum conjugalem, sed per carnalem copulationem; quam tamen interpretationem hujus textus non subsistere, patet ex eo, quòd Papa ibi, dicat, conjunctionem illam concedi non posse nisi ex urgentissima causa; siquidem conjunctio per copulam carnalem, ne quidem ex urgentissima causa concedi potest. Verum contrarium, nimirum, ubi ignoratur (idem est, ubi de hoc dubitatur, & à fortiore, ubi scitur contrarium) malitiam superare ætatem, contrahere matrimonium esse peccatum mortale; quia tales attentant inire statum ab Ecclesia reprobaturum & districtè prohibitorum, tradunt Rebellus *l. 4. q. 5.* Ponc. *l. 7. c. 65. n. 3.* Castrop. *num. 4.* Pirh. *l. c.* Robert. König. *h. t. n. 3.* qui etiam vult committi grave Sacrilegium non secus; ac si adulti cum impedimento dirimente contraherent, vel ac si minister in aliis Sacramentis committeret talem defectum, ex quo Sacramentum redderetur invalidum; neque obstat ait, ejusmodi matrimonia habere duntaxat rationem Sponsalium; cum hoc ipsum sit Sacrilegium, usurpare nimirum materiam & formam Sacramenti; imò intendere Sacramentum perficere in talibus circumstantiis, ubi valere non potest ut matrimonium & Sacramentum, sed tantum, ut Sponsalia; quæ non sunt Sacramentum. Verum hæc ratio non usque adeo placet; quia tunc irrogatur irreverentia Sacramento, quando quis profert formam Sacramentalem super materia indebita; non verò quando ponit aliqua, quæ neque forma neque materia sunt Sacramenti, qualis est in præsentate contractus irritus, quem proinde

ponens non committit Sacrilegium irrogando irreverentiam Sacramento, ne pater in contractu matrimoniali metu extorto, & hinc irrito, etiam si ponatur animo se obligandi: De cætero hic notandum, aliud esse, ignorare malitiam non superare ætatem, aliud ignorare legem inhibentem ne contrahatur ante pubertatem, nisi ubi adest dicta malitia, in quo secundo casu per accidens dicta ignorantia legis excusabit à peccato; quòd autem scientes nullitatem talis matrimonii nequeant efficaciter intendere matrimonium vel Sacramentum, non impedit, quò minus illud attentare possint, ac ita peccent.

Quest. 139. An & quando Episcopus possit dispensare cum impuberibus, ut contrahere possint matrimonium.

R Esp. Dum adest urgentissima causa, posse ordinarium dispensare cum impuberibus habentibus usum rationis (intellige ad obligandum sese) ut matrimonium validè & licitè contrahant, ait Castrop. *n. 4.* Sanch. *l. 7. d. 104. num. 9.* Hurad. *d. 22. diff. 12. in fine.* Laym. *l. c.* Limitat hoc ipsum aliquantum Pirh. *n. 33.* nimirum ut possit id ipsum Episcopus, dum adest iusta causa (cuius cognitio ad ipsum quoque spectat) quando impuberes sunt prope legitimam ætatem seu pubertatem, ut dubium sit, an malitia superet ætatem, valeatque tunc talis dispensatio pro utroque foro; siquidem, ut ait Barbos. *ad c. 2. h. t. num. 5. & de potest. Episc. alleg. 35. n. 20.* cum in *cit. c. 2.* Pontifex dispensationem sibi non reservaverit, tacitè eam Episcopo concessit.

Quest. 140. An pubertate obtentà, necdum tamen obtentà potentia cocundi seu generandi valeat matrimonium.

1. R Esp. Esse invalidum matrimonium tale, eò quòd dum contrahens ex defectu ætatis non habet potentiam generandi, non videtur habere ætatem requisitam ad matrimonium (intellige ad valorem illius) tenent quidam cum *gl. in c. impuberis. h. t. v. tardissime.* E contra valere illud, modò speretur successu temporis dictam potentiam habendam, probabilius affirmant Covar. *l. c. num. 2.* Sylv. *v. matrimonium §. 9. 7.* Mascard. *de prob. concl. 889. n. 10.* Sanch. *l. 7. d. 104. n. 5.* Gutt. *c. 117. n. 1.* Castrop. *n. 5.* Pirh. *n. 35.* Laym. *l. c.* siquidem dum adest legitima ætas, & de nullo impedimento perpetuo constat, tenet matrimonium, & certè aliàs sequeretur, quòd impotens ad copulam ob infirmitatem corporis non posset contrahere matrimonium, & non dari triennium ad experiendum, utrum impotentia illa sit temporalis an perpetua, sed continuo dissolvendum tale matrimonium, ut Castrop. textus verò *c.* puberes postular hanc potentiam ad valorem matrimonii in contrahentibus ante annos pubertatis, non verò in contrahentibus completis istis annis. Porro tempus expectandum ad experiendum, utrum impotentia sit perpetua, & ante quòd dissolutio matrimonii peti non potest, est plena pubertas, nempe in mare annus 18. juxta *l. abrogato. ff. de adoptione, & §. minorem Inst. eod. in famina 14. l. mala. ff. de alimentis legat. sentiunt Covar. l. c. Sanch. num. 18. Gutt. n. 1. Ponc. n. 1. Castrop. n. 7. Laym. l. c. n. 2. Pirh. cit. n. 35.* eò quòd cum completiones hominum sint diversæ, æquum non sit intentari dissolutionem matrimonii ob impotentiam, quousque